



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Joseph Jacobi Filius. Eulogium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Judæa Virgo Janitrix fuit, & Genitrix.
 Quanta hæc Judæ Gloria, quod sui Author Authoris
 Numen numeret inter Nepotes, & Judæus dicatur Deus.
 Sed, heu miseræ vices ;

Tanti nominis laudem simile nomen inficiet,
 Surget *Juda* Anragonistes Judas,
 Hic Numen edet, ille proder.
 Sanctumq; os putri violans osculo,
 Suummet nomen contaminabit.
 Disce Viator avitos jactare fastos.
 „ Hominum est Virtus, non Nominum.
 Nam totidem literis Messia Patrem appelles; & Parricidam

JOSEPH

JACOBI FILIUS.

EULOGIUM.

Dulces Rachelis primitiæ Joseph
 Ut primus evadat, undecimus nascitur.
 Egregium aliquid meditante Naturâ,
 Quæ tot Exemplaria delineavit, ut unum absolveret.
 Paternæ virtuti, maternæ pulchritudini compar;
 Ut impares Fratrum mores de suo Typo corrigeret,
 In sopore Vigil,
 Pingente Somno, futuræ dignitatis expressit imaginem;
 „ Sed periculosa res est eminere.
 Per cognatum livorem
 Vivus humatur, exhumatus divenditur.
 Infelix Puer,
 Vel perimatur ne imperet, vel servetur ut serviat,
 Bis infelix,
 Ab Eunucho emitur, ut serviat Fœminæ.
 Ter infelix,
 Purus impuræ servit, ingenuus captivæ :
 Nam liberali mancipii specie Domina capitur.
 Hic inhonestum thalamum fugit :
 Sed voto repugnat forma. pudore aucta :
 Itaq; inverecunda procacius persequitur verecundum.
 Hic Domino, quam Dominæ obsequentior fugit :

Ille

Ille deniq; impudentiæ impudiciâ suffragante,

Arrepto pro Juvene palliolo,

Indicium criminis infanti objicit.

Quid multa? favor sequitur ream, reatus infontem.

Itaq; liberalius ducens Joseph,

Servili compede, quam herili amplexu constringi,

Carcerem subire maluit, quam mereri.

„ Sed Virtus quicquid intrat, condecorat.

Læta ac mœsta somniant Pharaone,

Ut ambages solvat, vinculis solvitur.

Anguem diceret per latebras tractum,

Ut exiret nitidior:

Ægypti fata denunciatis, Ægypto præficitur,

„ Nemo enim meli⁹ prospicit malis, quã qui prospicit mala.

Itaq; ore affirmata, re firmato præfagio,

Nam ferax, nunc ferox tempestas

Septennem fertilitatem septenni sterilitate devoravit,

Nepos nimirum Natura cum prodigit, decoquit,

Hinc optimus Promus-Condus Joseph,

Fruento gravidas Pyramides pandens,

Calefacta annonã promit quod repente condiderat.

Ita Ægyptiæ Pyramides, jam sepulera, mox horrea.

Ægyptios alunt quos tumulabant.

Tunc Asia in Ægyptum emedicante,

Fruentatores Fratres agnoscit Joseph,

Pia Fati Tahone:

Ut ab eo vitam emerent, quem vendiderant.

Dulciorem tamen agnitionem simulato facturus iurgio,

Ceu furto deprehenso, ceu fures comprehendit,

Pati violentia amorem pectore, carcere Fratres, includens.

„ Sed lubrica res est Amor:

„ Medullis coercitus pupillas rumpit;

Cæcusq; per oculos viam rimatur.

Lætas igitur liquatus in lacrymas Joseph,

Suis se proditoribus prodit.

Cælum diceret illam domum, Astris duodecim lætam,

Sed sine Sole, dum sine Parte.

Qui demum accersitus, totam fortunam serenavit.

Omnia recuperaverat præter Patriam.

Hinc ossa legavit pro Oraculo:

Ubi.

Ubi, post obitum peregrinatus, tandem quievit.
 Semel mortuus,
 Bis tumultatus,
 Ter fletus,
 Quater felix.

P H A R E S
JUDÆ FILIUS.
PRODIGIA.

Adolescens, quem cernis, Phares est:
 Matris incestu, Patris adulterio satus:
 Parentum dedecus, Nepotum decus,
O Prodigium!

Duos fleverat Viros, eosq; Levitos Thamar.
 Tertio desponsa Fratri, & fraudata.

Ne orbitatem flet,
 Fraudulentâ libidine, ab Judâ Socero Prolem furatus
 Nam pellax Pellex,
 Prostituo corpore, non vultu.

Filium concepit Mariti Fratrem, ignota Nothum,
O dirum prodigium!

Obscuri sceleris palam convicta Meretrix,
 Accusatore utero, Socero Judice, ad flammam trahitur
 Ut Veneris crimen Vulcanus plectat,
 Et flammam expiet flamma.

Sed productis scortationis præmiolis,
 Sigillo, sudario, baculo;

Reum Judicem convicit rea,
O implexum prodigium!

Sanctum adulterio misceri, adulterio sanctum gignit.
 Immo unico adulterio bis adulter Judas,
 Crimen geminat:

Quippe unico incestu, geminos gignit.
O probrosum prodigium!
 Gemello instante partu.

Exertam Zaræ dexteram purpura distinguit Obstetrix;
 Purpuratam dexteram in uterum revocat Zata:
 Et posterior Phares prior oritur.